UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Patris Thomæ à Jesu ... Opera Omnia

Homini Religioso Et Apostolico Tam Qvo Ad Vitæ Activæ, Qvam Contemplativæ functiones utilissima, Duobus Tomis Comprehensa. In Qvibvs Singvlari Pietate, Varia Ervditione Clariori Et Breviori Stylo Continentvr Et Explicantvr ...

Tomás <de Jesus>

Coloniæ Agrippinæ, 1684

Dub. II. Quænam species requirantur ad cognitionem Dei evidentem in attestante?

urn:nbn:de:hbz:466:1-38621

Visual Library

QVÆSTIO VIII.

Verum prædictæ cognitiones fiant per aliquam speciem creatam repræsentativam DEI?

SUpponimus dari in intellectu possibili species naturales non solum repræsentativas universalium, quales sunt illæ, quæ ab intellectu agente producuntur; sed etiam particularium, quæ relictæ fuerunt ex cognitione ipsorum singularium per conversionem ad phantasmata, vel arguitivè ab intellectu. Quæ quidem species nimis confusæ sunt, & parum de objecto repræsentant, unde necesse est, quod per laborem discursus indagetur veritas rerum.

Aliquando ex ipsismet speciebus taliter, vel taliter ordinatis à DEO oritur perfectior cognitio. Aliquando etiam infundit DEUS in intellectu species supernaturales, quæ clarissimè & perfectissimè repræsentant res prout sunt in se ipsis, sive sint substantiæ materiales, sive spirituales, sive accidentia, & perfectiones supernaturales: & ideo non indigent discursu, sed per illas simplici intuitu penetratur veritas rerum.

Solet etiam DEUS cum istis speciebus intelligibilibus infusis (ut docet D. Bernard. *Serm.* 41. *in Cant.*) infundere aliquando etiam species sensibiles in imaginatione, & phantasia, ut melius & facilius possit homo aliis explicare per figuras & similitudines, quæ supernaturaliter cognovit, & ut splendor specierum intelligibilium infusarum magis attemperetur debili captui nostro pro hoc statu.

Quæritur ergo, an dentur aliquæ ex iis speciebus, quæ DEUM aliquo modo repræsentent in aliqua ex prædictis cognitionibus DEI? quam tamen quæstionem in plura dubia dividemus ob majorem resolutionis claritatem.

DVBIVM I.

Quænam species inserviant ad cognitionem ordinariam, quam habemus per fidem?

Ad actum fidei supernaturalis quæ concurrant, ac necessariæ sint species.

CONclusio. Ad actum fidei supernaturalis concurrunt species naturales & acquisitæ, nec est necesse, quòd sint supernaturales, & infusæ per se. Hæc est communis Thomistarum, quam etiam tenet Vasquez *in* 1. *part. disp.* 45. *c.* 5. Probatur, tum quia DEUS, Trinitas, & alia objecta supernaturalia non cognoscuntur à nobis prout sunt in se, sed per analogiam, & ad instar rerum materialium & naturalium: ita ut species, quæ per se primò repræsentant res materiales, secundario per quandam assimilationem repræsentent res divinas, supernaturales & spirituales; sed species debent proportionari, & esse ejusdem ordinis cum objecto primario repræsentato, & non cum secundario: ergo, &c. Tum etiam, quia species propriæ objectorum supernaturalium repræsentant illa ut sunt in se, & non possunt deservire cognitioni fidei, quæ est ænigmatica.

Tum denique, quia juxta doctrinam D. Thomæ perfectio cognitionis saltem judicativæ, quando est abstractiva proportionatur lumini, & non speciei 1. *part, quæst.* 12. *art.* 3. *ad* 2. & 2. 2. *qu.* 173. *art.* 2. & de verit. *quæst.* 12. *art.* 7. & *quæst.* 8. *art.* 4. *ad* 5. Cujus ratio est; quia species, quæ inserviunt apprehensioni v. g. DEI, & Trinitatis sunt naturales, utpote, quæ non repræsentant DEUM, & Trinitatem ut est in se, sed per similitudinem analogam rerum naturalium; sed istæmet species inserviunt ad judicium fidei, quod sit trinus (cùm in isto secundo actu nihil de novo repræsenteur, quod in apprehensione non fuerit repræsentatum) ergo solum debent proportionari actui apprehensionis, qui ab illis immediatè procedit, & non actui judicii, qui mediatè & remotè.

Objicies primò, species impressa debet proportionari objecto, cujus est vicaria, & mediante qua objectum concurrit ad actum. Secundò, Species impressa debet proportionari speciei expressæ, seu actui, qui ab illa procedit. Tertiò, quia si DEUS concurrat ad actum fidei cum intellectu, v. g. pueri, qui nondum habet species naturales sufficientes, debet consequenter ei infundere species ad illum actum necessarias: ergo saltem in hoc casu erunt species infusæ sine inconvenienti, quod tetigimus in secunda probatione. *Objectio.*

Respondetur ad primam, distinguendo, debet proportionari cum objecto primario conced. cum secundario neg. Primarium enim quod repræsentat, est aliqua res materialis & naturalis, ut dictum est. Ad secundam etiam respond. distinguendo, debet proportionari actui, qui immediatè ab illa procedit, qualis est apprehensio conced. actui, qui mediatè & remotè, quale est judicium fidei, neg. Ad tertiam respondetur in illa suppositione, quòd DEUS velit concurrere cum intellectu, nondum habente species, & proinde illas infunderet, tales species fore infusas per accidens, & solum quoad modum productionis supernaturalis, cùm deberent repræsentare res materiales, sicut illæ, quæ fuissent acquisitæ. Si autem DEUS infunderet species per se infusas, seu simpliciter supernaturales repræsentantes proinde objectum sicut in se est, non essent aptæ ad judicium fidei obscuræ, sed scientiæ infusæ, & evidentis. *Respond.*

DVBIVM II.

Quænam species requirantur ad cognitionem DEI evidentem in attestante?

CONclusio. Aliquando sufficiunt species naturales, & acquisitæ, ut dictum est de actu fidei, aliquando requiruntur species supernaturales & infusæ. Probatur quoad primam partem, quia cognitio evidens in attestante (ut diximus *quæst.* 7.) non est cognitio DEI prout est in se, sed tantum quòd sit DEUS ille, qui revelat; sed hoc potest fieri, vel impediendo hæsitationem intellectus, vel per aliquod miraculum, quod potest cognosci per solas species naturales & acquisitas: ergo, &c. Probatur minor, quia in testimonium, quod DEUS sit, qui loquitur, potest addici resurrectio alicujus mortui, vel largitio visus cæco nato; sed ad cognoscendum hominem esse mortuum, sufficit species naturalis cadaveris exanimis, fœtidi, & sepulti, vel fortè jam ad ossa resoluti: & ad cognoscendum jam esse vivum, etiam sufficiunt species naturales loquentis & se moventis, &c. Similiter de cæco nato, & de visu ei divinitus collato, & maximè, si sit idemmet resurgens & videns, cui DEUS attestaretur: & ex alia parte evi-

evidenter constat hoc non posse naturaliter fieri: ergo, &c.

Quoad secundam partem probatur, quia in prædictum testimonium potest DEUS infundere habitus supernaturales, & evidenter mihi ostendere ipsos habitus supernaturales, quos infundit v.g. fidem, gratiam & dona: sed ex suppositione quòd DEUS velit hoc modo attestari se loquentem requiritur infusio specierum talium habituum, quæ necessariò debent esse supernaturales & infusæ per se, cùm non possint naturaliter produci, & acquiri; nec species naturales, & acquisitæ possunt habitus illos clarè repræsentare: ergo, &c.

Objicies, DEUS non potest cognosci *quo ad an est*, quin aliquo modo cognoscatur *quoad quid est*, juxta doctrinam D. Thomæ *in Boëtium de Trinit.* & Aristotelis 1. *physicorum*, sed non potest dari species, per quam DEUS cognoscatur evidenter *quoad quid est*: ergo nec species, qua cognoscatur evidenter *quoad an est*. Respondetur, hoc argumentum vel nihil probare, vel nimium; quia non potest negari DEUM *quoad an est*, posse etiam naturaliter cognosci evidenter, ut diximus *quæst.* 6. & supernaturaliter evidentia in attestante, ut diximus *quæst.* 7. Unde solum sequitur ex eo, quod DEUS cognoscatur vel evidenter, vel inevidenter *quoad an est*, cognosci etiam aliquo modo *quoad quid est*, nempe confusè & imperfectè, sicut eum cognoscimus ex speciebus rerum sensibilium. Aliud enim est cognoscere evidenter attestationem esse DEI, aliud cognoscere evidenter ipsum DEUM, qui attestatur; illud enim est solum evidentia attestationis, hoc autem est evidentia DEI. Sicut meridie in nubilo videmus lucem, & ex ea cognoscimus evidenter esse solem in nostro hemisphærio, licèt non videamus solem ipsum in se.

Incidentis dubii resolutio.

Si obiter quæras, an quando DEUM cognoscimus ex speciebus rerum sensibilium, formemus proprium conceptum DEI, & an sit simplex vel complexus? respondeo, duplicem conceptum formari, unum ipsius rei sensibilis primatiò repræsentatæ per speciem, alterum confusum & respectivum, quo cognoscitur DEUS tanquam quid simile aliquo modo illi rei, v.g. soli, vel luci, vel nebulæ, sed infinitè eam excedens. Qui quidem conceptus proprius est DEI, cùm non possit alteri accommodari: ex qua cognitione remanent etiam species in intellectu, quibus possumus uti, quoties DEUM intelligere volumus.

Iste autem conceptus, quem de DEO formamus, solet esse complexus, seu mixtus ex negativo & positivo; vel ex relativo & absoluto, ut benè advertit Molina 1. *part. quæst.* 13. *art.* 1. *ad* 2. Licèt non rectè asserat, omnem conceptum DEI esse hujusmodi: potest enim multoties esse simplex, ut docet Fonseca, & Suarius, quia DEUS voce simplici significatur à nobis, & cùm voces sint signa conceptuum; datur etiam conceptus simplex, qui DEUM confusè repræsenter, sicut significatur voce illa: quem quidem conceptum possumus efformare ex prædictis conceptibus complexis.

DVBIVM III.

Vtrum per solas prædictas species naturales, & sine novo lumine infuso, præterquam fidei, possit DEVS cognosci, & mysteria divina majori claritate, & certitudine, quam ordinaria ipsius fidei?

Conclusio. Potest DEUS ita specialiter applicare, vivificare, & adjuvare lumen fidei, ut sine novo alio lumine superaddito, nec aliis speciebus, præterquam acquisitis, possimus ipsum DEUM, & mysteria divina majori claritate, & certitudine cognoscere, quam antea cum ipsomet lumine, & speciebus, ita ut illa major claritas, & certitudo intelligatur ex parte nostra, & non ipsius fidei. Probatur, quia in hoc nulla datur implicatio; sicut enim eadem potentia visiva, aut intellectiva magis roborata, vivificata, & adjuta potest lumine naturali melius & perfectius cognoscere; ita etiam habitus fidei perfectiorem elicere actum: habet enim se habitus supernaturalis per modum potentiæ proximæ ad suos actus.

Objectio.

Dices, certitudo fidei est infallibilis, & simul est essentialiter obscura; ergo non potest augeri ejus certitudo, nec ejus obscuritas clarescere.

Solutio.

Respondeo disting. conseq. ex parte ipsius fidei conced. ex parte nostra neg. Nam ex parte subjecti, seu intellectus non solum potest illa certitudo augeri per majorem radicationem habitus, sed per exclusionem duritiei cordis, & hæsitationis intellectus: sicut attenuata nebula aeris, vel oculorum augetur nobis claritas solis, quin ipsa augeatur in se ipsa. Similiter obscuritas fidei non potest tolli, sed tollitur à nobis confusio specierum naturalium, quibus divina mysteria per sensibilia cognoscimus, ut melius penetrentur eorumdem congruentiæ, & rationes, quod magis est tollere, seu minuere obscuritatem rationis, quam fidei.

DVBIVM IV.

Quænam species inserviant contemplationi infusæ per affirmationem?

Conclusio. Ad contemplationem affirmativam DEI, ad quam ipse concurrit speciali auxilio, & motione, & potest provenire ab aliquo dono Spiritus sancti; vel ordinantur species naturales jam præhabitæ, vel infunduntur novæ, & supernaturales, in quibus essentiæ rerum vel materialium, vel spiritualium repræsententur. Probatur, quia species naturales jam præhabitæ ita possunt à DEO ordinari, & disponi, ut clarius & perfectius repræsentent effectus DEI, ex quo & lumine infuso superaddito perfectius etiam penetrentur divinæ perfectiones contemplandæ.

Deinde per species supernaturales repræsentantes essentias rerum, sive materialium, sive spiritualium, puta animarum, vel Angelorum, aut etiam habituum supernaturalium, nempè gratiæ, fidei, spei, &c. clarius & simplicius cognoscit intellectus, nec indiget discursu, & labore ad investigandam veritatem, sicut indiget utendo speciebus naturalibus, quæ sunt nimis confusæ. Ex illarum igitur rerum cognitione, utpote effectuum DEI perfectiorum, & clarius cognitorum, possumus devenire in perfectiorē cognitionē Dei